


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



18

et morsus venenatorum; corpora mortuorum integra conservat et odor ejus dulcissimus omnibus prodest, qui magis videtur coelestis quam terrestris. Et quia carissimum est hoc balsamum, raro invenitur purum (80 a). Quidam enim vendunt pro eo therebintheum oleum; quidam therebinthum ei admiscent; alii oleum nardinum admiscent therebinthino. Diversis enim modis adulteratur, nam seminis sui succo vitiatur et oleo rosae cypri, lentisci, balani, therebinthi, myrti, resina, galbano, cera et caeteris variis modis his in terris vitiatur, in coelo vero purum erit; de sanctis enim canit ecclesia: Sancti tui, Domine, florebut sicut lilium et sicut odor balsami erunt ante Te. De Sapientia aeterna et de beatissima Virgine Maria canit Eccles. 38.: Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi. Et iterum ibidem: Sicut balsamum non mixtum odor meus.

De balsamo vero et probato aliqui de meis dominis peregrinis emerunt et principibus terrae nostrae propinaverunt, coram omnibus comprobantes aliquibus modis praedictis. Sic fuit factum coram Archiduce Austriae Sigismundo in Insprugg et coram Archiepiscopo Moguntino et coram domina . . . relicta Ducis Burgundiae Caroli. Et tantum de illo.

De ingressu peregrinorum in Cahirum, civitatem maximam totius mundi.

Octavo die Octobris, dum nox praecedens eum advenisset, oneravimus camelos nobis de Cahiro adductos nostros, quorum usum a Jerusalem habuimus, ascendimus et praecedentem Trutschelmannum secuti sumus, egredientes de Busiris in crepusculo serotino, ut in tenebris ingrederemur Cahirum propter insultum hominum vitandum; non enim potuissemus clara luce nisi cum multis percussioibus et vexationibus populum penetrare. Assumimus autem nobiscum Calinum ductorem nostrum per desertum, cujus ministerium etiam impletum erat, et asinarios nostros, et nova pretia eis constituimus, ut manerent nobiscum usque in Cahirum. Egressi autem Busirim habuimus ad sinistram desertum, solis ardoribus terram adustam, sterilem et inutilem, ad dextram vero hortos, agros, pomaria, viridaria et voluptuosos paradisos

029

027

033

023

038

018

078

128

528

Ende

Anfang